

DE XII. GEMMIS

Ephodem Iosephus Antiquitatum Iudaicarum libro tertio capite octavo, Græcanicæ epomidi similem facit. In huius medio (circa pectus medium) lacuna quædam relinquebatur, cui inferebatur frustū ijsdem coloribus, quibus ephodes, variegatū. Id vocabatur essen, ac si dicas Rationale: & lacunam adamussim explebat. In utroque autem humero singuli sardoniches, fibularum vice epomidem annectebant.

Ceterum de bello Iudaico libro sexto capite sexto: Epomis, inquit, thoraci similis videbatur: duabus aureis aspidum [*scutorum*] specie vinciebatur: quibus inclusi erant optimi maximiq; sardoniches. Rursus Antiquitatum libro tertio capite nono: Sardoniches, inquit, quos pontifex in humeris gestabat, mirè splendebant: is qui dextrum humerum occupabat, quoties litatum esset, tanto fulgore emisso, ut procul etiam intuen-